



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

[Prooemivm.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER PRIMVS

INCIPIT.

Io. Paulus Lancelottus I. C. Perusinus, Iuris
Pontificij Candidatis s.

PROOEMIUM.



Libros Iuris Pontificij diligenter in-
tuētib. facile appa-
rebit eos ad quan-
dam imitationem
illorū, qui in iure Ciuili extant,
fuisse conscriptos, atque dige-
stos. Nam vt illi Romani Imper-
atoris, sic hi Romani Pontificis
authoritate potissimū nitūtur,
ac velut illi Romanorum Impe-
ratorum constitutionibus, Se-
natus, aliorumq; magistratuum
placitis, & Iurisconsultorum re-
sponsis constant, sic in hos Pon-
tificum itidem Romanorū san-
ctiones, sacrorum conciliorum
decreta, & sanctissimorum viro-
rum haud dissimili ordine con-
gestæ sententiæ conspiciuntur:
quæ omnia tam pari postmodū
studio posteritas amplexa est, et
tam eodem stylo interpretata,
vt inter bonas artes nullæ pror-
sus sint, quæ tanta similitudine
fese inuicem contingant. Non
parua hinc nos interdum cepit
admiratio, quānam ratione con-
tigerit, vt veluti Imperatorio nō

mine Cæsarei Iuris in certos li-
bros redacta sunt elementa, nō
ita etiam ad vsum studiosæ iu-
uentutis ad ius Canonicum ab
ipsis Pontificibus compositæ In-
stitutiones reperiantur, cum id,
si, vt quidem nunc est, contem-
plemur, ædificij cuiusdam refe-
rat speciem ianuis atque omni
propemodum aditu carentis, &
vna hac tantum dissimilitudine
à iure Ciuili seiūgatur. Accedit,
quòd, cum nemo sit mortalium
qui gloriæ cupidine non tanga-
tur, hoc non sine magna sua lau-
de facturi videbantur. Sed Ve-
teribus quidem facile id igno-
sci poterit, in iaciendis & struē-
dis huius Iuris fundamentis vi-
delicet occupatis, & quasi mate-
riæ defectu impeditis: at Recen-
tioribus, eius facultatis tractati-
bus ad iustum corpus excrescē-
tibus, Institutiones inde elice-
re, & quasi de rudi marmore sta-
tuæ cuiusdam effigiem ducere
non difficile fuisse: & quæ no-
strorum est felicitas temporum,
non modò in ea re illustrium vi

a

torum opera uti, verum etiã per
 se id præstare nonnulli potuis-
 sent. Sed & horum quidam vr-
 tæ breuitate, quidam multipli-
 cium hæresium, bellorumq; tam
 ciuiliũ, quàm externorũ pro-
 cellis facillè excusari possunt.
 Quis enim in sacri Apostolatus
 fastigio vniuersæ ecclesiæ præ-
 sidens, atq; orbem ipsum princi-
 pum discordijs fluctuantè, bel-
 lorumq; incendijs æstuantè cir-
 cumspiciens, ad ocium literariũ
 variè agitatum animum facillè
 possit appellere? Sed hoc nos
 parũ aliquando perpendisse vi-
 deri possumus. nam cùm in au-
 la Romana difficillimis tempo-
 ribus degeremus, de Institutio-
 nibus Iuris Canonici Pontificio
 nomine conscribendis, Iustinia-
 ni Imperatoris exẽplo, ipsi Ro-
 mano Pontifici suggessimus: &
 quamvis minũs fortè oportu-
 nè, de his tamen conscribendis
 ab eodem mandatũ accepimus,
 & quantum in nobis fuit, etiam
 expleuimus: siquidẽ intermisso
 superioribus annis prælegendi
 ac patrocinandĩ munere, impẽ-
 sè operam dedimus, vt per nos
 huiusmodi Institutiones cõpo-
 nerentur, quæ, vt Pontificio no-
 mine exirent, non indignæ iudi-
 carentur: quod quidem ex sen-
 tentia nobis cessisse, ita locuple-
 tissimum summorum virorum
 probauit testimonium, vt illæ
 iamiam de manu Pontificis in
 manus vestras venturæ crederẽ-

tur: Sed vsque adeò postmodũ,
 cum Romæ ob eam vnũ n rem
 diu fuisset, supremæ manus
 impositio differebatur, vt qui
 grauissimis, ac multiplicib. vn-
 dique ad sedem Apostolicã con-
 fluentibus negocijs admodum
 senem Pontificẽ, & natura ipsa
 (vt aiebant) valde cunctatorem
 distentũ fuisse ignorauerit, ma-
 gnã illo tempore in curia re-
 rum harum incuriam fuisse faci-
 lè suspicari potuerit. Itaque diu-
 tius sustinere non valentes in
 patriam concessimus, Pontifex
 paulò mox in fata. Sed hæc cõ-
 mentariolo sufficiat nos aliquã-
 do fuisse cõplexos. Ergo si cui
 fortè audentiores visi fuimus,
 qui tantam rem aggredi tam in-
 becilli ausi fuerimus, maximis
 authoribus, atque ad eò mādato
 ipso Pontificio hanc temerita-
 tis culpam redimere possumus:
 vel certè id nõ impunè tulimus,
 qui ob eam rem magnos labo-
 res, & impẽsas, atq; inuidorum
 obtrectationes, nescio an dicã,
 frustra subierimus, vtinam non
 amplius subituri. Sed hæc om-
 nia æquissimo feremus animo,
 si, quod vehementer semper o-
 prauiimus, nostra hæc eiusmodi
 sit scriptio, quæ studijs vestris
 cõmoda videri possit: quod sa-
 nè his temporibus futurum nõ
 desperamus, quibus vt nonnul-
 los fortè sacrosancti Pontificij
 iuris ignoratione in errores ali-
 quos, atq; hæreses facilius pro-
 labi

Iabi potuisse, ita nunc expediti-
ore quodam eius tractatione nō
tam facile iuuenum hoc iure im-
butos animos aberraturos veri-
similiter existimare debemus.
Vnde quamvis non iisdem, qui-
bus inchoatus fuit auspicijs, li-
ber hic noster in lucē prodeat,
in communi saltē periculo non
fuisse nos ociosos, sed quoquo
modo tulisse opē, iuuabit. Ac-
cipite igitur priuati quidem ho-
minis, Pontificio tamen manda-
to ad ius Canonicū & scriptas,
& castigatas Institutiones: Cūq;
eis nihil sit cōprehensum, quod
(ni fallimur) sacris Canonibus
penitūs non consentiat, ita exi-
stimate, si de Pōtificis manu eas
accepissetis, fuisse id perinde fu-
turum, ac si vobis vasis aureis, ac
longē splendidissimis mēsis fu-
issent fercula subministrata: nūc
cūm de manu nostra, ac si fictili-
bus illa quidem, atque exo-
ticijs: in sapore tamen nul-
lam fore differen-
tiam.

DE IVRE CANO-
NICO,

TITVLVS I.

*Diuiditur in tres partes. In prima ponit,
unde dicatur Ius Canonicum. In secunda, quid
sit. In tertia, ex quibus constet. Partes pa-
tent. h. d.*



Vri Canonico da-
turū operā nosse
oportet, vnde ta-
lis denominatio
descendat. Et q-
dem Ius, genera-
le est nomen: Canonicum verò,
dicitur à verbo Græco *κανών*, ^{a can. i. distin.}
qđ Latinè idem significat, quod ^{ij.}
regula: vnde Ius Canonicū, Ius
regulare non malè dixeris: quā
denominationem ex eo acce-
pit, quòd ex regulis priscorum
Patrum deductum fuerit. Est
autem Ius Canonicum, quod ci-
uium actiones ad finem æternæ
beatitudinis dirigit. Constat
verò in primis id Ius diuinæ le-
gis præceptis, consuetudine, &
constitutionibus: quæ singula
qualia sint, diligentius dilpi-
ciamus.

DE IVRE DIVINO,
consuetudine, & constitu-
tionibus,

TITVLVS II.

*Ius diuinum, est quod continetur in lege, &
Euangelio, & est immutabile. h. d.*

Ius diuinum, est quod in lege
continetur & Euangelio^b, at-
que immutabile semper per-
manet. Sunt enim Legis & Eu-
angelij præcepta, aut moralia,^c
aut mystica. Moralia præcepta
nullam omninò mutabilitatem
recipere possunt: Mystica verò,
etsi quantum ad superficiē mu-
^b *distin. 1. in*
^c *sum.*
can. fin. 5.
his itaq; di-
stin. 6.